publicèque decretis Synodi Dordracenæ, cui ipse præsens interfuisti, con-
fessa sint, te latet. D. Moltherum aliquid ἑτερόδοξον hic habuisse, non val-
de miror: habuit et alia plura, de quibus mihi cum eo aliquando fuit ami-
ca collatio. Nihil ego dissertationi ejus de requibus: modo ejus manent.
Tua facit Dei decreta, alii faciunt quatuor: alii sex: ego non nisi unum
Dei consilium in scripturis invenio. Electionem ex universitate redem-
torum (sic enim Thes. 5 & 8. videtur loqui.) factam vult. Ego Huberi eorum
et opinioni affine hoc arbitror: ubique autem in scripturis prædestina-
tioni redemtionis et salutis media subjici video: præsertim Rom. 8: 30. Eph.
1. 4. Deum post redemtionem, seu redemtos aliquos reprobasse, et repro-
bos in statu redemtionis fuisse in pueris naturalibus; ego non dixerim,
nec cohærere arbitror: etiam illud suspectum, quod pueris natura-
libus nusquam addit culpam et æternitatem naturæ, quam sophistas
ab illis sis separare. Thes. 15 & 16. Damnantur erroris nostrarum
ecclesiarum Doctores, et Augustinus ipse, nimis inique et superstitiose.
Gratia universalis Thes. 19. est Pelagiana crambe, historiæ et
scripturæ inimica, neque cum Thes. 8. consistens. Voluntas Dei
antecedens et consequens est Scholor[um] ὑπόθεσις, et pelagianarum liti-
um uberrima seges.
Habes libere quid sentiam: modo tamen redemptio universalis
facessat: salvandorum discrimen soli Dei consilio et gratiæ relin-
quatur, nec detur arbitrio humano in totum, vel ex parte, contra
illud: Quis te discrevit? scandalum fratribus non ponatur: denique
redemptionem prædestinationi subjicientes, ex illo: Tui erant, quos
dedisti mihi: erroris non damnentur: author vel quivis alius
sensu suo in latitudine charitatis abundet per me licebit. Fe-
liciter vale. Heidelbergæ 13. Julii 1621.

Johanni Georgio Pareo
filio charissimo 244.
Salutem!

***. Humani præsidii apud nos nihil apparet. Unicum
nobis refugium restat Deus, à cujus providentia pendemus.
Ego quorsum me in urbis nostræ exidio recipiam, non
video. Si in hostium manus incidam, scio quid me maneat. Fi-
at Domini voluntas. Non minus me angit, quod te absente omnia
nostra præda erunt. Quod ergo Dominus dedit, Dominus abstulit,
sit nomen Domini benedictum. Plura vel etiam arcana
de rebus meis, quæ te scire vellem, scribere non audeo: quia
literæ plurimæ intercidunt, tam tuæ forte, quam nostræ. An
faciem meam sis unquam visurus, valde dubito, ideo tu æternum vale.
Dominus Deus in coelesti vita nos recolliget. Salutat te frater tuus
Philippus, qui heri Neostadio me invisit. Heidelbergæ 22. Febr. 1621.